



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Quare vnctio infirmorum sit prætermissa 33

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

rium, &c. Gratianus quoque in fine C. Arrianos scribit, quod ex eo, quod in manuum impositio iterari possit, ostendatur, eam non esse Sacramentum. Ad hoc verò probandum, hanc allegat Augustini sententiam: manus impositio non sicut baptismus repeti non potest. Quid enim est aliud nisi oratio super hominem?

Quòd si Sacramenti vocabulū in genere accipiatur pro signo, quòd ad res sacras adhibetur, tunc S. Patres Sacramenta etiam appellant Signum crucis, in fronte designatum, & multa alia signa. Vt panem benedictum, qui olim dabatur catechumenis, ignem & exufflationem, quæ in exorcismo adhibebatur. Bernhardus vult pedum quoque lotionem pro necessario Sacramento haberi, in Serm. de Cœna Domini. In benedictione Salis apud Baptismum, qui apud aduersarios baptizant, quotidie ad salem dicunt, vt in nomine S. Trinitatis, efficiaris Salutare Sacramentum, ad effugandum inimicum. Ex hoc igitur apparet, nullā Aduersariis occasionem fuisse Librum reprehendi propter numerum Sacramentorum, ne quidem ex patribus.

August.
in Psal.
141. Aug.
in Psal.
65. Lib. II.
de meri-
tis & re-
missione
peccato-
rum.

Quare vñctio infirmorum sit prætermissa.

CAP. XXXIII.



D alteram accusationem tertiæ partis, qua dicunt librum Reformationis vñctionem infirmorum penitus abrafisse, respondetur; Verum est, Omisit quidem liber Reformationis hoc signum, sed ob eam causam, quod commemorata est, nempe quòd hoc signum ab Apostolis vsurpatum est ad sanandos infirmos, in nomine Domini. Hoc dono quoniam vulgus sacerdotum caret, absurdum videtur, eius doni signum vsurpare.

Quòd si dicatur, Quemadmodum in Confirmatione manus parvulis imponuntur, iuxta exemplum Apostolorum, qui tamen Spiritum S. hoc signo visibiliter conferēbant, quam virtutem Episcopi & sacerdotes nunc non habent: Sic etiam hoc signum Vñctionis ad imitationem Apostolorum circa infirmos rectè vsurpari posse, quando pro corporali sanitate & remissione peccatorum oratur, iuxta exemplum Apostolorum: etiamsi donum sanitatis etiam non habeatur, quemadmodum id Apostoli habuerunt: præsertim cū plurimæ Ecclesiæ hoc signum longo tempore hac ratione in vsu habuerint, vt apud Bedam & alios videre licet.

Responsio. Libertas Christiana in hoc & omnibus corporalibus actionibus multum potest: verum oportet vt ad hoc quoque respiciat, quid ædificet & promoueat pietatē. Vñctio infirmorū, tãquā extremus Baptismus, iis tãtū nūc adhibetur, de quorū vita nulla spes amplius restat, id quod manifestè cum dicto Iacobi pugnat. Ad hæc proh dolor! plurima superstitio circa vsu huius signi inualuit, vnā cum falsa fiducia in externo opere, quæ deinde Diuorum inuocatione augetur & corroboratur. Porro cū fidelis oratio per Christū etiā sine vñctione effi-
ficax

ficax sit. & potens ægrotis omnia bona à Domino impetrandi: & hoc signum in tam multiplicem superstitionis abusum sit pertractum, denique semper pro signo, cuius vsus non esset necessarius, habitum & iudicatum, conqueri nemo potest, etiam si id ad visitationem & consolationem infirmorum non adhibeatur, vbi alioquin de Christiana ægrotorum visitatione & consolatione, ac fidei Oratione nihil intermittitur. Vera Ecclesia Christi de hoc quærit, quod efficaciter ædificat: quod non ædificat, id suum opus non agnoscat, sed mutat, quemadmodum Ezechias æneum serpentem demoliebatur, quem tamen Deus ipse erigi iusserat, verum in alium vsus. Fidelis infirmorum visitatio & consolatio ex verbo Dei, & Oratio pro ipsis à vera Ecclesia Christi requiritur, quicquid tandem signorum vltèrius adhibeatur, aut non.

Dionysius quoque nullam de hoc signo mentionem facit, memorat autem, quod Episcopus suis temporibus super corpora defunctorum, quando humo mandabantur, solitus fuerit oleum effundere. Ecclesiæ enim quantum ad eiusmodi signa pertinet, semper liberæ fuerunt.

Tertio accusant Aduersarij, quod in Libro positum sit, Ordinationem competere Episcopis præcipue, Quasi & alij præter Episcopum ordinare in Ecclesia possint: id quod faciat cõtra scripturam & regulam Apostolorum.

Hoc loco rursus se prodit eorum improbitas. In Reformationis Libro loco citato sic habetur. *Episcoporum verò præcipua hæc cura esse debet, ut ad hoc ministerium Ecclesiæ alantur, erudiantur, & formentur semper aliqui. Deinde etiam eligantur, & ordinentur probati, qui illud religiosè & salutariter obeant, ita vt Apostolus ad Timotheum suum & Titum præcepit, & deinde etiam plurimorum Conciliorum decretis & Canonibus sancitum & instauratum est.*

Hinc videatur, quid Liber Episcopis imprimis competere velit. De Ordinatione non loquitur, sed de constituendo & procurando, vt idonei ministri Ecclesiæ alantur, erudiantur, eligantur & ordinentur. Ordinationem Liber Reformationis Suffraganeo expressè attribuit, in Articulo de Ordinatione & Constitutione Pastorum. Et tantum hoc postulat, vt nihil in ceremoniis Ordinationis adhibeat, vel ordinando quicquam imponat, quod cum hac doctrina Christi in Libro Reformationis proposita, non consentiat.

Vnde rursus apparet, quàm contra Archiepiscopum & Patrem suum in proposito Christianæ Reformationis, importunè affecti & commoti sint, adeo non rectè inspicere potuerint, quid ab eo scriptum aut positum sit. Sed quemadmodum prima fronte vnumquodque idoneum ad reprehendendum & calumniandum illis apparuit (nihil enim aliud quàm Calumniari quæsierunt) ita illud continuo arripuerunt, omnesque calumnias suas contra id per calamum effuderunt, cuius solè Calumniæ huius loci eos manifestissimè coarguunt. Præterea videatur, quibus de rebus Aduersarij decertent, de externis nominibus, ceremoniis & signis. In Ordinatione ministrorum Ecclesiæ totum negotium in eo positum est, vt ecclesiis Christi verè euangelici, fideles & probati ministri eligantur & instituantur: vt coram ecclesia Dei officij ac

muneris sui per verbum Dei solemniter admoneantur: preces pro eis fundantur, manus illis imponantur, ac ministerium Ecclesiae seriò summaque religione tanquam coram Domino demandetur. Hæc bona est, sancta, & à Deo ipso instituta ceremonia, Exod. 29. Act. 13. Quantò verò facilius est, ac minori labore constat, has ceremonias administrare, quàm se ipsa procurare, constituere, ne Ecclesiae in electione, in examinatione & ordinatione seu constitutione ministrorum fraudentur?

Iam verò quantum ad hoc attinet, vident Aduersarij, quàm miserè sint Ecclesiae Christi deuastatae & deserta: verum id ipsos non mouet, de eò nihil solliciti sunt. Verum si Ordinatio Ministrorum absque Episcopali nomine, baculo, pileo, annulo, chirothecis & calceis fieret, etiamsi alioqui summa religione, & maiori imitatione Apostolici exempli administraretur, eam tamen administrationem esse negarent, putarèntque se grauissimas causas querendi & clamitandi habere, quòd Hierarchia penitus esset collapsura. Veruntamen annoñ hoc est dona Dei & opera gratiae humanis figmentis & laruis astringere, corpus prætermittere, & vmbra sectari: contendere de putamine, & nucleum ipsum amittere? Hi quibus hoc tempore munus ordinandi committunt, quid reuera aliud sunt, quàm presbyteri, qui nihil amplius quàm Episcopale nomen & pompam habent, atque exercent? Nullam enim Ecclesiam habent cui Episcopali munere præsent: sed inanes obtinent, pretiòque redemptos Episcopales titulos talium Ecclesiarum, ad quas accedere ne in animum quidem inducunt.

Veteres hanc Ceremoniam Ordinationis, quemadmodum omnia præcipua ministeria & actiones Episcopis tanquam summis Presbyteris, quibus præcipua cura totius Ecclesiae incumbere debet, attribuerunt. Præsente enim Episcopo, Presbyteri neque populum docere, neque baptizare, neque S. Cœnam administrare, neque quodcunque ex præcipuis Ecclesiae ministeriis obire debuerunt.

Quoniam verò doctrina, Baptismus & Cœna Domini, item Absolutio necessariae actiones sunt, quæ sæpenumero differri sine incommodo non possunt, idcirco veteres presbyteris permiserunt, vt Doctrinam, Cœnam Domini, Baptismum, & Absolutionem absente Episcopo administrarent.

Sed quoniam Ordinatio ministrorum Ecclesiae, sicut & Confirmatio, & vasorum mysticorum, vt Sacrorum signorum, templi & altaris, &c. consecratio, facilè differri poterat: & præterea sine summi Animarum curatoris consensu meritò in Ecclesiae ministerium nemo assumendus erat: Item, cum ad maiorem vnitatem & obedientiam Ecclesiae conducatur, vt quiuis Christianus Christianam fidem suam confiteatur, & obedientiam promittat coram præcipuis animarum curatoribus, & ab illis ad totam communionem Christi coram vniuersa Ecclesia Christi, singulari sollemnitate admittatur & confirmetur. Eodem modo ne vel templum vel templi aliquod instrumentum sine suo consensu ad ministerium Ecclesiae ordinetur. Has ob causas veteres tria hæc munera Episcopis propria attribuerunt, Ordinationem ministrorum, Confirmationem

Confirmationem baptizatorum, & Consecrationem templorum, altarium, & aliorum vasorum mysticorum, quo sublimius in Ecclesia ministerium suas quoque peculiare honorarias actiones haberent.

Quamuis antiqui, ut iam dictum est, Episcopis perinde publicum docendi, orandi & benedicendi in Ecclesia munus, omnia item sacramenta dispensandi, Absoluendi à peccatis, & omnia publica atque præcipua Ecclesiæ ministeria, peculiariter attribuerunt, ad eò ut Episcopis presentibus & valentibus nulli presbyterorum ea obire liceret. Quoniam verò publica prædicatio verbi, & Oratio, sacra Cæna, Baptismus, Absolutio, nec possunt nec debent differri, idcirco quamuis sublimiora & Episcopalia ministeria sunt, presbyteris quoque Episcopis vel absentibus, vel ea administrare non valentibus, sunt commendata. Sicut alioquin quoque presbyteri vnum & idem habent cum Episcopis officium: nisi quòd Episcopis maior cura peculiariter incumbit, & principatus in omnibus sacerdotalibus actionibus est tributus, quò melius concordia & ordo in Ecclesiis conseruari possit, quemadmodum D. Hieronymus, & alij Patres ex Apostolo Paulo bene & copiosè probant. De cætero Episcopus & presbyter vnum sunt.

Quamobrem si quando absque detrimento Ecclesiæ etiam Ordinatio vel Confirmatio, vel Templorum vasorumque mysticorum consecratioisque ad aduentum ordinariorum Episcoporum differri non potest, quis mente & intellectu præditus Christianus dubitabit Presbyteros in eiusmodi casu, vel absentia, vel impotentia Ordinarij Episcopi, perinde minora ista Episcopalia munera administrare posse: cuiusmodi sunt, ceremoniæ consecrandi & benedicendi siue Ordinatis ad ministerium Ecclesiæ, siue iis qui fidem suam confitentur: siue templis, & aliis vasis mysticis: cum tamen longè maiora & excellentiora Episcopalia munera administrant, nempe Baptismus, Cænam & Absolutionem?

D. Ambrosius super quartum caput Epistolæ ad Ephesios testatur, Presbyteros olim in Ægypto in absentia Episcoporum ministros Ecclesiæ ordinasse. Quicquid igitur aliquando in Ægypto legitimum ac licitum fuit, id meritò & apud nos in simili casu legitimum esse debet. Omnia enim Ecclesiæ Christi sunt, & ad eius ædificationem omnia seruire debent.

Si Deus omnes qui nominantur & ordinati sunt Episcopi hinc ad se transferret, vel ipsi semetipsos Ecclesiæ subducerent, ut pro dolor! plurimi faciunt, nunquid idcirco deberent Ecclesiæ Christi ordinariis Doctoribus & Pastoribus destitui? Non sanè, Dominus non derelinquit Ecclesiam suam, sed dat ei perpetuò suos ordinarios Doctores & Pastores. Ephes. 4. etiamsi homines officio & ordinationi suæ defint, vel eam penitus deserant, quemadmodum longo iam tempore à multis Episcopis factum est.

Antiochiæ Paulus & Barnabas in Apostolos gentium (quod longè sublimius & excellentius munus erat quàm Episcopale) à Doctoribus & Prophetis ibidem ordinati sunt, & ibi nullius Episcopi fit mentio.

Paulus quoque cum loquitur de ordinatione Timothei, meminit Impositionis manuum presbyterorum, non Episcopi.

Ad hæc antiquum Concilium Antiochenum cap. x. Chorepiscopo subdiaconorum & aliorum inferiorum ministrorum Ecclesiæ ordinationem attribuit, solam verò Diaconorum & Pastorum prohibuit, verum id tantummodo sine suffragio & consensu Episcopi. Iam quemadmodum Episcopus in necessitate suum officium diaconos & Pastores ordinandi presbyteris committere potest: ita etiam Dominus sine dubio, qui gratiam suam inanibus nominibus & ceremoniis non adstringit, cum eam ne sacramentis quidem alliget, quemadmodum apud omnes est in confesso.

Deus noster Deus ordinis est, sed semper ad salutem nostram. Quare in Ecclesia eius ordo obseruandus est, ministeria eius constituenda, & distinguenda iuxta verbum illius. Et quicquid præcipui, vel publici peragendum est, id à veris Episcopis & curatoribus animarum administrari debet. Verumtamen si vel absentes vel impotentes fuerint, suoque ministerio fungi non possint, vel imbecillitate corporis, vel alio quouis impedimento obitante, id in detrimentum Ecclesiarum Christi vergere non debet, sed ministerium Christi illis persoluendum & expediendum, per eos qui id quàm optime præstare possunt.

Hactenus de Ordinatione. In qua Controversia rursus apparet, quomodo Aduersarij occasiones reprehendendi querant, vbi nullas inveniunt, & talia affirmant, quæ probare non possunt.

Quarta reprehensio in hac tertia parte est, quod Aduersarij dicunt, Vniuersalem formam laudabiliter huc vsque in Administratione sacramentorum seruata, per hunc Reformationis librum in vniuersum ferè mutari. Sed quoniam postea distinctè in suis locis id se annotaturos pollicentur, & nos responsionem nostram in eum vsque locum differemus, vbi clarè demonstrabimus librum Reformationis verè Christianam & Apostolicam istius Administrationis formam non modò non mutare, sed ex tenebris in lucem reducere, & instituire eandem, quæ à principio, & omnibus temporibus obseruata est, quandiu Ecclesiæ per veros Episcopos publicè administratæ & gubernatæ sunt.

Quarta pars huius Accusationis.

De obedientia ministris Ecclesiæ præstanda.

CAP. XXXIV.

QUARTA principalis Accusatio Aduersariorum circa istum articulum hæc est, librum Reformationis requirere obedientiam Pastoribus præstandam in iis tantum rebus, quæ expressè à Deo mandata sunt, cum tamen hucusque docuerit Ecclesia, potestati obediendum, non tantum in his quæ scriptura expressè mandauit obseruare, verum in iis etiam quæ Scripturæ non aduersantur.

Responsio.